



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Sanctissimo Christi Iesv Dei Et Hominis Amore

Le Gaudier, Antoine

Coloniae Agrippinae, 1620

Exemplum S. Ioannis Baptistæ ad Christi amorem nos excitat ca. 15

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50572](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50572)

EXEMPLVM S. IOANNIS BA
pistæ ad Christi amorem nos
excitat.

CAPVT XV.

ADDAMVS & lucernam
ardentem diuino hoc i-
gne, lucentemque sanctum
Ioannem Baptistam, qui cum
non esset lux, tamen missus
est à DEO in mundum, vt
testimonium perhiberet de
hoc lumine; cum enim diui-
num illud lumen & vitam,
oculi hominum infirmi non
comprehenderent, sed potius
eius humilitate, paupertateq;
offenderentur, misit DEVS
hunc hominem, mirabiliter
conceptum, mirabiliter na-
tum, mirabili plane vita &

Ioan. 5.
Ioan. 1.

E 4 morte,

morte, vt Christi vitæ, & mor-
ti testimonium præberet, a-
deo vt merito omnes tanti te-
stis conuicti auctoritate, &
per eius austeram vitæ ratio-
nem mundique, & omnis fa-
stus contemptum manu du-
cti crederent, & ad præclaris-
simum Incarnati Verbi iubar
& gloriam peruenirent, quod
officium quanto amore, quã-
ta reuerentia & Christi æsti-
matione præstiterit, patet ex
multis locis & varijs occasio-
nibus; quidquid enim habuit
auctoritatis, quicquid sancti-
tatis, quicquid apud homines
famæ & æstimationis, id con-
tulit, vt gloriæ Christi gene-
rosè seruiret. Nam postquam

Ioan 1.

Iudæis

Iudæis de Messia interrogantibus, confessus est, non sum ego Christus, medius, inquit, vestrum stetit, quem vos nescitis, ipse est qui post me venturus est, qui ante me factus est, cuius non sum dignus, vt soluam eius corrigiam calceamenti. Deinde non contentus suos ad eum discipulos destinasse, cum nonnulli conquererentur, quod Christus baptizaret, repetito hoc suo testimonio, non potest homo accipere quicquam, inquit, nisi fuerit ei datum de coelo, ipsi vos mihi testimoniū perhibetis quod dixerit, non sum ego Christus, sed quia missus sum ante illum. Qui habet

Ioan. 3.

E s spon-

sponsam, sponsus est, amicus
autem sponsi qui stat & audit
eum, gaudio gaudet propter
vocem sponsi. Hoc ergo gau-
dium meum impletum est.
illum oportet crescere, me
autem minui, qui de sursum
venit super omnes est; vere
amicus sponsi S. Ioannes, ve-
rè amator Christi syncerus,
qui eius gloriam tam fideliter
procurat, qui suo etiam con-
temptu gaudet, quia sic videt
eius honori se servire posse,
gaudio gestit cū se deprimat,
vt eum exaltet, cū se è terra
& esse, & loqui, illum è cælo
esse, & cœlestia afferre docu-
menta; se nihil esse, habere aut
posse; illum verò esse, habere

& pos

& posse omnia palam attestatur.

Tales etiam modò, ô Chri-
ste testes quaris, tales amato-
rès, tales æstimatores, tuæ bo-
nitatis, qui rerum terrena-
rum, mundique totius con-
temptu, & odio præcipuè sui
insignes honoris omnis sui
& vitæ etiam prodigi glorio-
sum opprobrium crucis tuæ
hominibus commendent, &
latentem in vtilitate maiesta-
tem tuam annuntient, vt ab
omnibus & cognoscaris & a-

meris D E V S benedi-
ctus in sæcu-
la.

